Grossherzogliches Gymnasium zu Oldenburg.

De aetiologicorum Propertii carminum fontibus

scripsit

Gustavus Ries.

1900. Progr. Nr. 722.

Oldenburg.
Druck von Gerhard Stalling.
1900.

Bibliothek des Städt. Gymnasiums Düsseldorf

90C
1

722/1

UNIVERSITÄTS- UND LANDESBIBLIOTHEK
DÜSSELDORF

Bicipitem non iniuria dixerit quis Propertium libri ultimi compositorem, utpote qui in hac extrema carminum parte neque solitos peculiaresque elegiaci poetae modos neglegat et doctus nobis exsistat poeta, cum, vere praeco temporis acti, insumat artem in evolvenda antiquitate Romana et argumenta inde prompta fidibus lyrae suae amatoriae adaptanda curet. Quinque sunt carmina, quibus haud exigua usus doctrinae subtilitate origines Romanas canit ille: carmen primum, secundum, quartum, nonum, decimum. Quarum de elegiarum consilio ratione indole condicione coniunctione dispositione mirum quantum discrepat inter omnes[1]) pullulavitque coniecturarum seges, et praecipue, quo consilio essent conditae, iterum ac saepius quaesiverunt viri docti neque quidquam certi inter eos convenit: aliis aliud Propertius illis sequi visus est carminibus.

Ac primus quidem, cuius de opinione disseramus, dignus est vir doctrina et sagacitate de studiis Propertianis insigniter meritus, Carolum Lachmannum dico, qui in editione Lipsiensi (1816, p. 350; cf. p. 369) sententiam suam de consilio huius elegiarum corpusculi coniecturis multimodis vexati in medio proposuit et Propertium ‚Fastorum' sive ‚Dierum' opus conficere voluisse sibi persuasit. Sequitur eum Caruttius (praef. ed. p. XXXVII) simile fuisse ratus carmen Sabini poetae, de quo Ovidius (Epp. ex Ponto IV. 16, 15 sq.):

‚Quique suam Chrysen imperfectumque Dierum
Deseruit celeri morte Sabinus opus.'

Suo autem iure R. Voigtius (De quarto Propertii libro, Helsingforsiae 1872, p. 21 sq.), qui hanc adoptassent opinionem, solo Ovidii exemplo impulsos esse demonstravit. Ovidianorum

[1]) Adeo dissident viri docti, ut omnium Propertii librorum ultimus putetur hinc ‚perfectissimus' (Buecheler. Mus. Rhenan. tom. XXXVI (1881), p. 337), illinc inconditissimus; velut Lachmannus tumultuosius praeter necessitatem in hunc librum grassatus fragmina rudia ponit et ita non cohaerentia, ut ne puer quidem balbutiens verba tam interrupta et indigesta iaceret.

videlicet Fastorum, quibus per singulos menses dies anni Romani festos et ritus describit — dimidiam tantum partem absolutam esse non nescitur —, poeta ipse sic explicat naturam (Fast. I, 1 sqq.):

,Tempora cum causis Latium digesta per annum
Lapsaque sub terras ortaque signa canam . . . . .
Sacra recognosces annalibus eruta priscis
Et quo sit merito quaeque notata dies.'

Cf. Fast. II, 7:

,Idem sacra cano signataque tempora fastis.'

Quam Fastorum definitionem minime cadere in Propertii quinque elegias in promptu est, nisi quod el. I, 69 ,dies' se cantaturum promittit poeta; hoc autem ipso versu cum dicat:

,Sacra diesque canam et cognomina prisca locorum,'

impedimur, quominus toti nostrarum elegiarum libello titulum demus ,Dierum' vel ,Fastorum'. An quisquam putat ,cognomina prisca locorum' pertinere ad Fastorum descriptionem? Id quoque ab illius sententiae assectatione nos deterret, quod versu 57. ,moenia' dispositurum se profitetur poeta. Denique si omnem quinque illarum, quas Sextus reliquit, elegiarum indolem et habitum accuratius contemplati erimus, ,Fastorum' sive ,Dierum' indice eas comprehendere nimis nimirum dubitabimus, quin etiam vetabimur.

Aliam de consilio illorum carminum sententiam protulit Chr. Luetiohannes (Commentationes Propertianae, Kiliae 1869, p. 47), cum ,Periegesin' quae dicitur urbis Romae componere in animo habuisse Propertium contenderet. Quod ut coniectaret, nempe commovit eum primae elegiae versus 1:

,Hoc, quodcumque vides, hospes, qua maxima Roma est,'

ubi poeta hospitem videtur alloqui. Evidentissime autem falluntur, si qui de hoc illove cogitant hospite; immo utitur noster artificio, quod saepius adhibent poetae, ut ardentiorem reddant orationem fervidioremque, imprimis in eis argumentis, quibus aliquid adhaeret sollemnitatis Velut Callimachus initio carminis, quod a Schneidero (II., p. 144) γάμος Ἀρσινόης appellatum est, eandem in usum vocat artem prooemiandi:

,Ἀρσινόης, ὦ ξεῖνε, γάμον καταβάλλομ' ἀείδειν.'

Simili ratione non dubitat vir doctus, quin ex altera elegia possit peti columen huius sententiae Vertumnus loquens. Sed ne in hoc quidem carmine unus quilibet homo, quocum sermonem habeat deus, statuendus est; potius Vertumnum de sua origine et natura vividioris tantummodo coloris causa induci dicentem coram turba togata ante pedes suos transeunte, sequitur cum e versibus 5 et 56, tum e versibus 57 sq., ubi deus civem quendam ad vadimonia currentem morari se nolle ait. Nec quicquam colligas cum Luetiohanne e pronomine demonstrativo ,hic' (el. I, 5):

,Fictilibus crevere deis haec aurea templa.'

,Haec aurea templa' non ad locum spectare, sed ad tempus („die Tempel, die jetzt von Gold strahlen")[1], sententiarum conexu cognoscitur. Insuper eodem, quem in Lachmannum produximus, versu everti videtur Luetiohannis opinio, dico primae elegiae v. 69. Quo enim pacto ,dies' redigi possint sub periegeseos propriam notionem, vix quisquam intellegit.

[1]) Rothstein ed. tom. II, p. 168; cf. Krahner, Philol. tom. XXVII, p. 66 sq.

Rothsteinius quidem, qui nuper (1898) nobilissimam ministravit editionem poetae, Luetiohannis de periegeta Propertio sententiam plane fecit suam. Nec non arridere apparet hanc carminum contemplationem Friderico Cauero (Berliner philol. Wochenschrift 1885, p. 1579). Praeterquam quod ad analogiam calendaris Ovidianorum Fastorum dispositionis nos delegat, initio omnium fere nostrarum elegiarum certum urbis Romae locum commemorari a poeta annotat hic vir doctus. Nimis fidenter, me quidem iudice. Mallem equidem dixisset potuisse obversari poetae regionem certam Urbis vel aedificium (cf. ex. gr. carmen X.).

Attamen fortasse in aliquam quidem cum his viris doctis communitatem deveniemus, simulac quae tertia prolata est examinarimus sententiam, qua Hertzbergius Krahnerus Kirchnerus Scharfius Langius[1]) alii ‚Causarum' titulum aptum accommodatumque esse nostris elegiis, exemplo autem Callimachi, in quo imitando eum omnino fere totum se collocasse in concesso est, incensum esse ad eas pangendas poetam autumant. Cum quibus ego non possum quin faciam.

Atque argumenta singula quae Callimachi ‚Aetiis', quorum exstant nulla, tractata fuerint, quamquam quaestio est difficillima et longior, quam quae hoc loco ad obrussam exigatur, tamen id breviter pro certo ponere possumus cum viris doctis Callimacheis, versata esse ea in gentium urbium institutorum ludorum sacrorum originibus describendis et in causis eorum appellationis explicandis. Ab epico autem genere Αἴτια Callimachi ex Schneideri temporibus nemo ignorat longe fuisse diversa, quippe quae non continuum opus essent, sed series singulorum de singulis argumentis carminum, eaque non epico, sed elegiaco metro composita.

Quae omnia optime quadrant in Propertii rationem. Contemplemur primum, quaeso, elegiae I v. 57—70: animadvertemus Sextum ipsum impense se opponere Ennio (v. 61 sq.) atque fateri suas vires non sufficere ad tantum opus, quantum sit carmen epicum, sustinendum (v. 58 sqq.):

‚Ei mihi quod nostro est parvus in ore sonus
Sed tamen exiguo quodcumque e pectore rivi
Fluxerit, hoc patriae serviet omne meae.'[2])

Quid? quod respiciens consilium suum se ipse praedicat poeta ‚Romanum Callimachum' v. 64

‚Umbria Romani patria Callimachi.'

Nunc demum 69. quoque versus omni ex parte illustratur; nam quod promittit poeta cantaturum se sacra dies[3]) cognomina prisca locorum, i. e. causas harum rerum, hoc nimirum amplecti eadem, quae a Callimacho ‚Aetiis' tractata esse modo diximus argumenta, clarius elucebit, si singulas illas elegias perlustraverimus. Exempla autem primo obtutu nobis praesto erunt: quod ad sacra attinet, conferas ex. gr. c. IX, 67 sqq.; de diebus festis cf. c. I, 19 sq.; 25 sq.; c. IV, 73 sqq.; de nominibus priscis locorum cf. c. II; c. IV; c. IX, 5 sq.; 19 sq.; 21—70; c. X.

---

[1]) Hertzberg, ed. 1843—1845; Krahner, Philol. tom. XXVII; K. Kirchner, De Propertii libro V. capita sex, Rostock 1882; R. Scharf, Quaestiones Propertianae, Hal. 1881; G. Lange, de Callimachi Aetiis. Lips. 1882.

[2]) cf. Callimach. fr. 165 et 490 (a Diltheyo, Analecta Callim. p. 5 sociata):

‚Μηδ' ἀπ' ἐμεῦ διψᾶτε μέγα ψοφέουσαν ἀοιδήν
Τίκτεσθαι βροντᾶν οὐκ ἐμόν, ἀλλὰ Διός.'

[3]) ‚Dies' audaciore sane figurae ἀπὸ κοινοῦ quam nuncupant usu pro ‚dies festi'; notio ex antecedente ‚sacra' repetenda est.

Ac rerum et appellationum origines veriloquiaque sectantem poetam secundum Callimachi rationem ex. gr. habes c. II, 49 sq.:

,Et tu, Roma, meis tribuisti praemia Tuscis,
Unde hodie vicus nomina Tuscus habet!'

c. IV, 93:

,A duce Tarpeia mons est cognomen adeptus.'

c. IX, 5 sq:

,Qua Velabra suo stagnabant flumine quaque
Nauta per urbanas velificabat aquas.'

c. II, 10 sqq.:

Vertumnus verso dicor ab amne deus
Seu, quia vertentis fructum praecepimus anni,
Vertumni rursus creditis esse sacrum.'

v. 21 sq.:

,Opportuna mea est cunctis natura figuris:
In quamcumque voles verte, decorus ero.'

v. 47 sq:

,At mihi, quod formas unus vertebar in omnes,
Nomen ab eventu patria lingua dedit.'

Quod elegiarum consilium subsonat in eiusdem carminis initio:

,Quid mirare meas tot in uno corpore formas?
Accipe Vertumni signa paterna dei;'

quod Kirchnerus recte sic interpretatur (l. l. p. 72): ,Accipe causam, cur tot formae statuarum in uno Vertumni corpore coniunctae sint.'

Quin etiam ,Causarum' propriam significationem ipse adhibet Sextus c. X, 1:

,Nunc Jovis incipiam causas aperire Feretri.'

cf. v. 45 sqq.: causa Feretri,
Omine quod certo dux ferit ense ducem;
Seu quia victa suis umeris haec arma ferebant,
Hinc Feretri dicta est ara superba Iovis.'

Inesse igitur in Hertzbergi eiusque asseclarum iudicio, cur ei non refragemur, negari nequit. Quid vero? Luetiohannis quam summopere Cauero et maxime Rothsteinio adblandientem vidimus coniecturam nonne coniungere licet cum hac de carminum consilio sententia? Modo ne dicas more ,periegetarum' (scilicet secundum veram ac propriam huius vocis significationem) urbem Romam describendam sibi proposuisse Propertium: locorum quodam ordine servato processisse aut procedere voluisse in Actiis pangendis poetam, ipse quoque lubens largior. At premere nolim ,periegeseos' indolem cum Rothsteinio[1]) (ed. tom. II, p. 155:

[1]) Quod de illo primae elegiae hospite argumentatur (ed. tom. II, p. 166): „Wie ein wirklicher Perieget, einen Fremden in Rom herumführend, erscheint der Dichter am Anfange der Elegie, was ihn freilich nicht hindert, den im ersten Verse angeredeten Fremden im weiteren Verlaufe des Gedichtes einfach verschwinden zu lassen," his extremis verbis nostram de artificio poetico sententiam (vide supra) suo Marte stabilire videtur vir doctus.

Eine poetische Periegese der Stadt wollte er liefern"; cf. tom. I, p. XV), et primo loco de ‚Causis', ‚Originibus', ‚Aetiis', ‚aetiologicis carminibus' cogitetur rationibus modo prolatis necesse mihi videtur.[1])

Talia ut contexeret, Lynceum amicum saucium ipse adhortatus erat (III, 32, 32), cum ei suaderet, ut imitaretur ‚non inflati somnia Callimachi'. Quo loco quin ‚somnia' de Αἰτίων libris interpretanda sint, vix erit qui in dubitationem vocare velit; cf. Hertzberg, Quaest. Propertt. p. 195 sqq.

Item Propertii fere aetate Graecos quosdam poetas in ‚Causas Romanas' componendas contulisse ‚studium sine divite vena' nobis non obliviscendum est. Velut Plutarchus (vit. Romuli c. 21) affert Butae ‚Αἰτίας μυθώδεις ἐν ἐλεγείοις περὶ τῶν Ῥωμαϊκῶν.' Agathylli quoque similis consilii opus commemorat Dion. Hal. Antiquitt. Rom. I, 49. Neque quod eorum opera citantur ἐλεγεῖα, potest mirum habere eum, qui Callimachi Αἴτια non raro eodem titulo significari scit (cf. Schneider Callim. II, p. 214 sqq.; Dilthey de Cydippe p. 74 sqq.). Tertio loco nominandus est Simylus, de quo audias Meineke Hist. crit. comic. poett. praef. p. XV. Verum Graeculos illos omnes esse magnae neglegentiae crimini obnoxios sub iudice non est, neque habemus cur horum poetarum, qui quidem et aetate et argumentis ei propiores erant, non Callimachi exemplo usum esse Sextum credamus. Immo si plures superessent eorum reliquiae, consilio et ratione eis adversatum esse nostrum forsitan posse demonstrari haud inique nobis persuadere studet Kirchnerus (l. l. p. 77). Quae iam non est quod pluribus persequamur.

‚Causas' igitur teneamus esse illas Propertii elegias[2]), regionatim — nil equidem repugno — dispositas, ex Callimachi exemplo ortas, Maecenate fortasse adhortante (cf. Buecheler. Mus. Rhenan. tom. XXXVI, p. 336 sq.), atque, quod mihi quidem probarunt viri docti in hanc sententiam inclinantes, provecta iam aetate[3]); ipse nempe poeta grandiori aetati aliud genus poesis reservarat; cf. III, 1, 7 sq.:

‚Aetas prima canat Veneres, extrema tumultus;
Bella canam, quando scripta puella mea est.'

Sed tametsi genus horum carminum Callimacho suo debet, tamen argumenta Aetiorum Callimacheorum exprimere non potuisse Propertium in propatulo est, cum Alexandrinum illum poetam Graecas tractasse fabulas constet. Quocirca nostro adeundi erant scriptores, qui Romanarum antiquitatum notitiam explanaverant. Qui vero fuerint illi scriptores, in hac paucitate elegiarum sane difficillimum est enucleare. Atque hanc quaestionem, quam antea paene non tetigerant viri docti[4]), primus accuratius perpendere conatus est Mauritius Tuerk dissertatione, quae Halis prodiit a. h. s. 85, quam inscripsit: ‚De Propertii carminum quae pertinent ad antiquitatem Romanam auctoribus'. Qua dissertatione egregias Augusti Ottonis ‚De fabulis

[1]) Heydenreichius quoque, cuius strenuis curis Propertianis omnes permultum debemus, haec carmina utique vocat ‚aetiologica'. (cf. Zeitschr. f. Gymnasialwesen 1899, p. 225 sq.)

[2]) Ideo tantum tribuo huic sententiae ideoque paulo uberius totam hanc rem retractavi, quod aliquantillum ponderis inde adferri puto ad eam quaestionem quam posthac de auctoribus Propertii habebimus persolvendam; quod si quis parum se perpicere dicet, is velim maxime meminerit Varronem quoque scripsisse ‚Aetia'. Cf. etiam Cic. Acad. Post. I, 3, 9, ubi haec allocutio obtingit Varroni: „. . . Tu omnium divinarum humanarumque rerum nomina genera officia causas aperuisti.'

[3]) cf. G. Knaack, Wochenschrift f. klassische Philologie. 1888, p. 399.

[4]) Recte Ed. Heydenreichius (Jahresber. über d. Fortschritte der klass. Altertumswissenschaft LV, p. 128) dicit: „Der spezielle Teil über die Quellen der antiquarischen Lieder des Properz ist ein bemerkenswertes novum."

Propertianis' commentationes (Vratislav. 1880; altera particula publici iuris facta est Glogoviae 1886), qui Romanas fabulas consulto a suis quaestionibus excluserat (p. 1), explere instituit Tuerkius atque in universum recte, quae exstant apud scriptores, quorum libri versantur in antiquitatibus Romanis, composuit cum Propertii similibus locis indeque coniecturam de fontibus illarum elegiarum cepit.

Sed cum statim in limine disputationis praemoneat Tuerkius: ‚Magna cautio, ne nimius sim in disquirendis auctoribus, mihi adhibenda est', ne nos quidem iam eandem quaestionem moturos et aliqua quidem ex parte recognituros, in quam lubricam descensuri simus arenam, fugit. Nam et paucitatem aetiologicorum carminum haudquaquam nobis esse adiumento modo diximus neque ipse poeta, quae non interioris essent doctrinae, facile ignoravit. Quae cum de suo doctrinae penu desumpsisse putandus sit, in his Propertium ad certum auctorem redigere gravabimur. Difficilior etiam res eo fit, quod poetam sua usum quam egregie omnes novimus arte, quae tradita invenerat, saepius exornasse aut mutasse consentaneum est. Verum enimvero quicquid de hoc statuitur, licet non sine aliqua fiat audacia: quandoquidem haec quaestio institui coepta est, ipsi quoque eandem viam ingredi nullo pacto vetamur.

Videamus igitur, quid posuerit Tuerkius de auctoribus Sexti. Ac scribit p. 16. sq.: ‚Non mirum est Propertium maxime ad Varronem sese applicasse; hunc enim cum Aetiorum librum conscripsisset, quo veterum institutorum originem causasque exposuerat, apud veteres maxima auctoritate usum esse, testatur Cicero Acad. Post. I, 3, 9 (exscribitur hic locus a Tuerkio). Merito igitur Varronis scripta apud omnes, qui antiquitati Romanae studebant, maximam vim habuerunt et fundamentum omnis, quae pertinet ad res Romanas, doctrinae fuerunt; maxime autem scriptores ecclesiastici eum quasi instar cuiusvis scientiae venerati Varronis libros exscripserunt. Quod opportune factum est; nam cum Varronis librorum plurimi aetate perierint, illis locis, quibus posteriores scriptores cum Propertio consentientes Varrone auctore usi sunt, etiam Propertium a Varrone pendere iure colligendum est.

Maioris, quam adhuc cognitum est, ponderis T. Livii ab urbe condita libri ad fabulas illustrandas videntur fuisse; cum enim priores libri ipsi rhetorice et poetice exornati in fabulis antiquis versentur, fieri non potuit, quin poetas, ut eas versibus exprimerent, non solum incitarent, sed etiam eis locupletissimam copiam offerrent.

Id sane non mirandum est, Propertium saepissime eos poetas imitatum esse, quorum exemplum, ut patriae serviret antiquitate praedicanda, ad eum pertinuisse persuasum habemus, Vergilium et Tibullum.

Quibus omnibus quantum debeat Propertius' e. q. s.

Varronianae imprimis doctrinae vestigia quin impressa ferant Propertii elegiae, non iam ambigi posse credo; etsi Tuerkius nonnunquam audacius iusto rem egit, id quod optimo iure G. Knaackius (l. l. p. 402) monet, qui pergit verbis hisce: „Gesicherte Ergebnisse werden erst bei einer kritischen Bearbeitung der Fragmente Varros herauskommen; diese Arbeit — zur Schande der heutigen Philologie sei's gesagt — steht noch aus. Aber die Vermutung Tuerks wird nicht abzuweisen sein, dass auf den Sammlungen des gelehrten römischen Antiquars, der in seinen Aitien den Kallimachos mehrfach benutzt haben wird (Serv. zu Verg. Aen. I, 408), die römischen Elegien des ‚umbrischen Kallimachos' beruhen[1]." Profecto multa exstare apud

[1]) cf. etiam Cauer. l. l. p. 1580 sq. et Heydenreich. l. l. p. 129.

nostrum, quae aperte conspirant cum enuntiatis illius polyhistoris, diligenter et, quoad fieri potest, probabiliter demonstravit Tuerkius, nec re denuo pensitata et ponderata possumus, quin cedamus in partes viri docti. Quem concentum Propertii et Varronis singillatim persequi nunc non est nostrum: acta agere videremur.

Et quamquam minime infitiamur Varronis auctoritatem excitare facillimum esse, qui de nulla sane re non scripserit, id tamen quivis negabit, sicunde erat haurienda, commodius talem eruditionem potuisse hauriri quam e thesauris undecunque doctissimi Romanorum viri, qui largissimam cuicuimodi cognitionis copiam in omnium usum proposuerat, qui, ut Augustini (Civ. dei VI, 2) verbis utamur, ‚tam multa legit, ut aliquid ei scribere vacasse miremur, tam multa scripsit, quam multa vix quemquam legere potuisse credamus.'[1])

Si vero nos insequenti disquisitione numerum locorum nostri poetae cum Varronis doctrina componendorum per ambages vel circuitione quadam aucturi videbimur, hunc summum nostri commentarioli fructum ducemus.

Quae autem Varronis scripta in usum vocaverit Propertius, inutile et ab re est quaerere. Quamquam (cf. Heydenreich l. l. p. 129) Tuerkius in fine disputationis eum adisse de Lingua Latina, de Vita populi Romani, de Antiquitatibus libros et Aetia Varronis affirmat. Quod haud scio an merito non possit; et cum argumenta huius rei afferantur nulla, ‚Antiquitatum' promptuario contentum Propertium fuisse eodem iure poni potest, cum in vasto illo opere, quaecumque ad instituta publica sacrave pertinebant, cum pulvisculo exhausta fuisse sciamus. An non ‚Causarum' conditor poterat acquiescere in ‚Aetiis' Varronis?

Quod attinet ad Vergilii Tibullique auctoritatem a Tuerkio advocatam, nonnihil valuisse ad aetiologicas quoque Propertii elegias illorum carmina, in Augusteae aetatis poetarum sat nota societate per se apparet[2]). Attamen hoc in universum ita accipiendum est, ut similia atque illi tractans argumenta Sextus recordatus esse videatur illorum carmina, quare haud raro elocutionis similitudo exstitit[3]). Sed in ipsis argumentis etiam Vergilium aliquotiens arcessitum esse ab eo Tuerkius luculenter evicit.

Praeter Varronem et hos duos poetas Livium Tuerkius Propertio auctorem iniunxit ac primum librum saepius, semel quartum historici usurpatum esse a Sexto demonstrare conatus est.

Attamen vereor ne in argumentationis genere adhibendo parum felix fuerit atque, ut historici auctoritate liberemus poetam et infracto auctore Livio corroboremus Varronem, fore ut nobis contingat spero.

Itaque percenseamus, sultis, illa carmina dumtaxat usque eo, ut hunc si quid sentimus errorem viri docti nudare possimus, servantes quem dissertatio Tuerkiana sequitur ordinem

---

[1]) Apud Cic. Brut. 60. Varro audit ‚diligentissimus investigator antiquitatis'; cf. Acad. Post. (l. l.), Quintil. XII, 11, 24: ‚Quam multa, paene omnia, tradidit Varro!' all. Cf. Orelli et Baiter, Onomast. Tull. 575 sqq.

[2]) De hac communione cf. maxime A. Zingerle, Ovid und sein Verhältnis zu den Vorgängern und gleichzeitigen römischen Dichtern. Innsbr. 1869—71.

[3]) B. Kuttner, De Propertii elocutione quaestiones, Hal. 1878, p. 72. Verum de Tibullo cf. W. Olsen, Commentationes philolog. in honorem sodalitii philol. Gryphiswald. 1887, qui ordine immutato Sulpiciae elegias e Propertianorum carminum elocutione profectas esse probabile fecit et p. 28 sq. unam e nostris ipsis elegiis (II. De Vertumno) huius rei testimonium attulit.

atque, quantum in nobis est, videamus, an in ardua sua et ancipiti via hic illic titubarit Tuerkius. In quod inquirentes quominus alias si quae occurrent difficultates, quibus mederi e re nostra erit, ὡς ἐν παρόδῳ attingamus, nil impedit.

In carminis **secundi** (de Vertumno) antiquitatibus ad fontem suum referendis Livii auctoritas nusquam excitatur a viro docto itaque satis habere possemus cum Tuerkio ‚didicisse Propertium . . . ex Varrone hausisse', nisi Cauerus, Tuerkianae dissertationis censuram exhibens, de Varrone auctore dubitationi dedisset locum, cum scriberet (l. l. p. 1580): „Es empfiehlt sich die Annahme nicht, dass Properz diese (scil. die varronische) Erzählung benutzt hat, da Varro als Führer der etruskischen Schar, welche den Vertumnuskult nach Rom gebracht haben soll, Caelius Vibenna nennt, während Properz den Sohn des Lycomedes als Leiter der Einwanderung bezeichnet."

Sane Propertius exhibet v. 49 sqq.:

‚Et tu, Roma, meis tribuisti praemia Tuscis,
Unde hodie vicus nomina Tuscus habet,
Tempore quo sociis venit Lycomedius armis
Atque Sabina feri contudit arma Tati.'

Varronem contra tradere videmus de ling. lat. V, 46: ‚In Suburanae regionis parte princeps est Caelius mons a Cele Vibenna, Tusco duce nobili, qui cum sua manu dicitur Romulo venisse auxilio contra Tatium regem: hinc post Celis obitum, quod nimis munita loca tenerent neque sine suspicione essent, deducti dicuntur in planum. Ab eis dictus vicus Tuscus et ideo ibi Vortumnum stare quod is deus Etruriae princeps'. Maneret igitur Caueri dubitatio, si Lycomedius esset patronymicon quod vocant et significaret ‚filium Lycomedis'. Nec vero reluctari Propertium Varroni clarescet, si paulo altius repetiverimus.

Veteres iam scriptores, quidnam facerent vocabulo ‚Lucumo', in incerto habebant. Huic vel illi videbatur esse nomen proprium; veluti de nostro ipso duce Dion. Hal. II, 37: ‚Ἦκε δὲ αὐτῷ Τυῤῥηνῶν ἐπικουρίαν ἱκανὴν ἄγων ἐκ Σολωνίου πόλεως ἀνὴρ δραστήριος καὶ τὰ πολέμια διαφανής, Λοκόμων ὄνομα, φίλος οὐ πρὸ πολλοῦ γεγονώς.' Hodieque sunt qui in hunc errorem rapiantur. Vicit vero dudum sententia, qua Lucumo (Etrusce: ‚lauchme') putanda est honorifica appellatio cuiusvis principis Tusci, qui praecipue sacerdotis vice fungebatur; vid. Niebuhr. H. R. I, 137, C. O. Mueller de Etruscis II, 2, 3, p. 363. Res ergo ita se habere potest, ut Propertius communem titulum (Lycomedius = Lucumo), Varro nomen proprium (Caeles Vibenna) praebeat; cf. quod Niebuhrius H. R. I, 330 de hac nominum confusione adfert: „Der romulische Lucumo ist kein anderer als der tuskische Hauptmann Caeles Vibenna, der sich mit seiner Schar auf jenem Berge, der den Namen von ihm empfangen, niedergelassen haben soll . . . Die Verdoppelung als Lucumo und als Caelius kommt von denen, die jenes für einen Eigennamen hielten."

Quod si non falso conicitur, vel eam ob causam dicere non licet de dissensione Propertii ac Varronis. Sed haud scio an certius rem nostram agere possimus aliam amplexi interpretationem, quae manare videtur ex insequenti qua opus est disquisitione.

Superesse enim de quo disceptari possit video. Quaerat forsan quis: An ‚Lycomedius' idem est ac ‚Lucumo'?

Quem scopulum[1]) praetervecturis primus inspiciendus est Servius Aen. V. 560: ‚Tertiam (scil. partem populi Romani) Lucerum, quorum secundum Livium et nomen et causa in occulto sunt. Varro tamen dicit Romulum dimicantem contra Titum Tatium a Lucumonibus, hoc est Tuscis, auxilia postulasse. Unde quidam venit cum exercitu: cui, recepto iam Tatio, pars urbis est data: a quo in urbe Tuscus dictus est vicus . . . Ergo a Lucumone Luceres dicti sunt'.[2]) Quo ex loco mihi quidem dubitatione exemptum videtur quin possit effici, Lucumones non solum fuisse ‚principes Tuscos', verum etiam ‚totum populum Tuscum' indeque tertiam tribum Romanam nomen cepisse. Dices cogitare Servium de compluribus principibus Tuscorum, et ipse quoque meae sententiae posse diffidi confiterer, nisi esset locus Pauli Diaconi, qui et ad hanc rem explanandam egregie facit et sat lucis adfert formae Propertianae. Paulus enim eandem ac Servius prodit doctrinam, nisi quod pro ‚Lucumones' exhibet ‚Lucomedi' p. 120 M.: ‚Lucomedi a duce suo Lucomo dicti, qui postea Lucereses appellati sunt'. Optime ordo: Lucomo-Lucomedi-Lucereses respondere videtur ordini Varroniano (apud Servium): Lucumo-Lucumones (= Tusci)-Luceres. Quibus nobis Pauli et Servii locis nixis licet Propertianum illud ‚Lycomedius' ita interpretari, ut sit singulare quod nuncupant collectivum et exstet pro ‚populus Tuscus'[3]).

Sed, utut haec res se habet, sive hanc sive praeferes illam interpretationem, qua ‚Lycomedius' titulus accipiendus est illius Tusci ducis, cuius nomen fuit Caelius Vibenna: minime in hac re Propertius dici potest obniti Varroni, et quod disserit Cauerus de patronymico, quod significet ‚filium Lycomedis', deque Graeco, qui ideo veri sit similis, Propertii fonte, procul abiciendum mihi videtur. Ex forma autem sola vocabuli si quis suspicionem de Graeco fonte excitarit, eum ad Knaackium reicio, qui bene (l. l. p. 400): „Ihm ist diese graecisierende Umbildung wohl zuzutrauen, ohne dafs wir einen griechischen Poeten zu bemühen brauchen, durch dessen Vermittlung Properz die Sage erhalten hätte."[4]) Nonne vero e semet ipso poetam finxisse formam ‚Lycomedius' censere loco e Paulo allato vetamur[5])?

Totum igitur versari nostrum in Varronis de Lucumone persuasione vidimus, idque affirmare eo certius possumus, quod in statuendo tempore, quo ille dux Tuscorum Romanis auxilio venerit, maximam inter veteres scriptores esse dissensionem scitur[6]). De tota hac quaestione novissime F. Münzer in Mus. Rhenan. tom. LIII (1898), p. 596 sqq. scite disputavit et Propertium nostrum in hac quoque re Varronis propriam peculiaremque opinionem sequi observavit (p. 604).

---

[1]) Si cui videtur scopulus; commentatoribus Propertianis, quin idem valerent haec nomina, nulla est umquam in dubitatione versatum.

[2]) cf. Varr. de l. l. V. 55: ‚Ager Romanus primum divisus in partis tris, a quo tribus appellata Titiensium, Ramnium, Lucerum. Nominati, ut ait Ennius, Titienses ab Tatio, Ramnenses ab Romulo, Luceres, ut Iunius, ab Lucumone.' cf. Cic. Rep. II, 8, 14.

[3]) cf. Rothstein, ed. tom. II, p. 200.

[4]) De Propertio graecissante et Graecas formas propter iucundiorem plenioremque illarum sonitum et metri causa persaepe praeferente cf. etiam Hertzberg. Quaest. Propertt. p. 163.

[5]) Fortasse denotare voluit Sextus (sicut v. 29. primi carminis) se eorum gregi inserendum esse, qui Tuscos Semigraecos et Lydia oriundos censerent. Recte igitur Hertzbergius ad v. 51, qui cum Scoppa et Turnebo ‚Lucumonius' pro ‚Lycomedius' reposuissent, Propertium egregia doctrinae laude fraudasse annotat.

[6]) cf. praeter ll. ll. Paul. Diac. p. 44 et 119 M.; Tacit. Ann. IV, 65; Fest. p. 355 M.; Claud. imp. Orat. in Tab. Lugd. Column. I, 18 sqq.

Livius de hoc Tusco duce nil memoriae prodidit (de Luceribus habet I, 13, 8: ‚Lucerum nominis et originis causa incerta est'; cf. Serv. l. l.), eiusque de vico Tusco existimatio a Varronis et Propertii immane quantum discrepat. Nam cum hi plane consentientes Romuleae aetati originem Tusci vici assignent, Livius conditum Tuscum vicum Porsenae temporibus (ann. 506.) addicit[1]). Cf. Liv. II, 14, 9: ‚Pars perexigua (scil. Etruscorum), duce (scil. Arunte, filio Porsenae) amisso, quia nullum propius perfugium erat, Romam inermes et fortuna et specie supplicum delati sunt. Ibi benigne excepti divisique in hospitia. Curatis vulneribus alii profecti domos nuntii hospitalium beneficiorum, multos Romae hospitum urbisque caritas tenuit. His locus ad habitandum datus, quem deinde Tuscum vicum appellarunt.'

Talem discrepantiam nonnihil valere is concedet, qui Tuerkium Liviana vestigia ubivis detegere conari iamiam videbit.

Livianam eruditionem primum in elegia **quarta**, qua de Tarpeia agit poeta, indagasse sibi videtur Tuerkius. Maxima autem ex parte hic quoque Varronis thesauri in comparationem vocantur ab eo: ostendit quae poeta de Parilibus explicat congruere cum Varrone; descriptionem loci, ubi Sabinorum castra posita erant, per Plutarchum (Vit. Romuli) ad Varronem refert; Tarpeiam Vestae fuisse sacerdotem, id quod non omnes tradunt scriptores, etiam Varronem quique ex eo pendent protulisse docet vir doctus.

De hoc sacerdotis munere etiam Livius audiendus est (I, 11, 6): ‚Huius (sc. Spurii Tarpei) filiam virginem auro corrumpit Tatius, ut armatos in arcem accipiat. Aquam forte ea tum sacris extra moenia petitum ierat.' Sed in eo lapsus est Tuerkius, quod Propertium Livii narrationem in usum suum convertisse statuit hac argumentatione (p. 31.): ‚Atque Tarpeiam, sacerdotis munere quae fungatur, aquam haurientem poeta facit:

‚Tarpeia deae fontem libavit: at illi
Urgebat medium fictilis urna caput',

quos versus ad Livii narrationem redire ut existimem facile adducor, praesertim cum iter Tarpeiae ad aquam hauriendam a nullo nisi a Livio et Propertio commemoretur'. Id neglegi potest, quod Valerius Maximus IX, 6, 1 tradit: ‚Virginem aquam sacris petitum extra moenia egressam Tatius . . . corrupit.' Valerii namque Maximi quomodo orta sit doctrina quantique aestimanda, scimus[2]). Itidem quod Sextus Aurelius Victor de viris illustr. I, 2 exhibet: ‚Tarpeiam virginem nacti, quae aquae causa sacrorum hauriendae descenderat', non assis facimus.

Multo maioris momenti nobis videtur esse Servius huius rei testis (ad Aen. VIII, 348): ‚Tarpeia sedes dicta est a Tarpeia virgine. Cum enim Romulus contra Sabinos bella tractaret et Tarpeio cuidam dedisset arcem tuendam, filia eius Tarpeia aquatum profecta in hostes incidit . . . Quae illic sepulta Tarpeiae sedi nomen inposuit.' Quod ad Varronem esse remittendum in cognita Servii cum illo polyhistore adfinitate facile dabitur; cf. etiam Varron. de ling. lat. V, 41: ‚Hic mons (scil. Capitolinus) ante Tarpeius dictus a virgine Vestale Tarpeia, quae ibi ab Sabinis necata armis et sepulta'[3]).

---

[1]) cf. Dion. Hal. V, 36, Paul. Diac. p. 354 M.

[2]) cf. Kempf, Prolegg. ed.; F. Zschech, de Cicerone et Livio Valerii Maximi fontibus Berol. 1865.

[3]) cf. nostrae elegiae v. 1: ‚Tarpeiae turpe sepulcrum'; v. 93: ‚A duce Tarpeia mons est cognomen adeptus'. Plut. Vit. Rom. XVIII, 1: ‚Τῆς μέντοι Ταρπηΐας ἐκεῖ ταφείσης ὁ λόφος ὠνομάζετο Ταρπήϊος.' Fest. p. 343 M. Dion. Hal. II, 40.

Illum quoque carminis locum, qui est de morte Tarpeiae (v. 89 sqq.), ad Livium redire Tuerkius vult, cum scribit (p. 34): ‚Atque eis, quae de morte Tarpeiae narrat poeta:

‚At Tatius — neque enim sceleri dedit hostis honorem —
„Nube" ait „et regni scande cubile mei".
Dixit, et ingestis comitum super obruit armis'

eum maxime ad Livium accedere quod memoretur dignum est: nam etiam hic scriptor addit Tatium regem virginem necavisse, ut se proditionem omnino non probare significaret (I, 11, 6): ‚Accepti obrutam armis necavere, seu ut vi capta potius arx videretur, seu prodendi exempli causa, ne quid usquam fidum proditori esset.' — Nec vero solus Livius hoc exhibet, sed etiam apud Plutarchum (Vit. Romuli XVII, 19) parem invenimus sententiam sic expressam: ‚Οὐ μόνος οὖν, ὡς ἔοικεν, Ἀντίγονος ἔφη προδιδόντας μὲν φιλεῖν, προδεδωκότας δὲ μισεῖν· οὐδὲ Καῖσαρ .... φιλεῖν μὲν προδοσίαν, προδότην δε μισεῖν· ἀλλὰ κοινόν τι τοῦτο πάθος ἐστὶ πρὸς τοὺς πονηροὺς τοῖς δεομένοις αὐτῶν .... τὴν γὰρ χρείαν ὅτε λαμβάνουσιν ἀγαπῶντες, ἐχθαίρουσι τὴν κακίαν, ὅταν τύχωσι. Τοῦτο καὶ πρὸς τὴν Ταρπηΐαν τότε παθὼν ὁ Τάτιος .... πρῶτος ἅμα τὸν βραχιονιστῆρα τῆς χειρὸς περιελὼν καὶ τὸν θυρεὸν ἐπέρριψε. Πάντων δέ αὐτὸ ποιούντων βαλλομένη τε τῷ χρυσῷ καὶ καταχωσθεῖσα τοῖς θυρεοῖς ὑπὸ πλήθους καὶ βάρους ἀπέθανεν.' Quem Plutarchi locum componere malim cum Propertii versibus quam Liviana verba, cum Plutarchus illam sententiam, qua proditores abominandi sint, fuse lateque urgeat, Livius eam obiter tantum attingat et alteri opinioni primum det locum verbis hisce: ‚seu ut vi capta potius arx videretur'. Atque eo magis hic Plutarchus in primum agmen producendus est, quod in locorum quoque descriptione mirum in modum convenit cum Propertio, id quod ipse Tuerkius (p. 33 sq.) plane demonstravit. Sicut autem vir doctus hanc descriptionis similitudinem Varroni reddit (‚Graeci scriptoris ratione penitus perspecta quin ille communis fons, ad quem Plutarchus aeque ac Propertius referendus sit, in Varronis libris sit, vix dubitandum est'), ita nil impedimenti est, quominus v. 89 sqq. quoque repudiemus Livium et ita satis habeamus in uno auctore allegando. Qua in re facimus cum Fr. Cauero, qui de ratione Tuerkii fontes Propertii in nostra elegia eruentis iudicat sic (l. l. p. 1581): ‚Nichts hindert die Annahme einer Quelle, in der alle die Umstände, die Properz aus der römischen Sage anführt, neben einander erwähnt gewesen sind.'[1])

Ac miror Tuerkium fugisse in hac ipsa re probabilissime posse nos Varronis auctoritatem accire. Nam cum exploratissimum sit in Vita Romuli Plutarchum ita pendere e Varrone, ut adierit Iubae de ὁμοιότησιν librum, Iubam autem Varronis doctrinam in Graecam linguam transtulisse[2]), hic eo confidentius rem agere possumus, quod Plutarchus (l. l.) in ipsa fabula de Tarpeia enarrata Iubam citavit: ‚Ἐάλω δὲ καὶ Ταρπήϊος προδοσίας ὑπὸ Ῥωμύλου διωχθεὶς, ὡς Ἰόβας φησὶ Γάλβαν Σουλπίκιον ἱστορεῖν.'

En, quid inde sequatur. Cum pateat Propertii et Plutarchi, quem per Iubam, expilatorem Varronis, ad hunc polyhistorem redire modo diximus, similitudo et cum ceteroquin Varro ipse, id quod maxima ex parte iam Tuerkius evicit, in singulis rebus cum nostro usquequaque conspiret, hos quoque versus revocare ad Varronem non dubito, ut iam omnibus locis nostrae

[1]) Etiam a G. Knaackio (l. l. p. 401) repulsam fert Livius; solus, quos sciam, Rothsteinius (ed. tom. II, p. 230) Propertium consulto hic se adiungere fortasse ad Livii auctoritatem censet.

[2]) De hac quaestione inprimis conferendus est Barthius, De Iubae ὁμοιότησιν a Plutarcho expressis in Quaestionibus Romanis et in Romulo Numaque, Gotting. 1876. Cf. etiam Glaesser, ‚De Varronianae doctrinae apud Plutarchum vestigiis,' Stud. Lips. IV, p. 159 sqq.

fabulae — transformatae quidem in universum elegiaco more a poeta — eundem fontem statuendum, Livianae autem auctoritatis notam minime inurendam poetae putem obluctatus Tuerkio, qui bis hoc fieri vult.

Transit Tuerkius ad elegiam **nonam,** quae inscribi potest ‚De Hercule'. In hoc quoque carmine Livianam olfacit doctrinam, quam qua est sagacitate affirmare studet. Quod utrum habeat quo tutari possit necne, iam cernamus.

Ac duae fabulae Herculeae coniunguntur a Propertio: pugna illius herois cum Caco latrone et Fori Boarii consecratio, postmodo certamen Herculis cum sacerdote Bonae Deae Araeque Maximae constitutio.

Initio disputationis, quod Sancum esse eundem deum atque Herculem Propertius dicat Varronianam prae se ferre persuasionem, merito monet Tuerkius. Deinde Herculis cum Caco pugnam pertractans Vergilium et Livium auctores imputat poetae his verbis (p. 36): ‚Quorum (scil. Vergilii et Livii) cum Propertio tanta similitudo est, ut ad eos quin accesserit non dubium sit.'

Vergilii quidem, ut hoc paucis absolvam, huius fabulae narrationem ante oculos versatam esse nostro, in nota ac decantata horum poetarum societate per se putandum esse unus quisque concedet; qui huius rei studiosus volet esse, eum ad Tuerkium Zingerleium (v. not. p. 9) all. delego, quorum opera haec res ita explanata est, ut nil desideres. De Livii autem auctoritate non est cur quicquam largiamur viro docto; vide etiam quae profert Fr. Cauerus (l. l. p. 1581): „In der Geschichte von Hercules und Cacus wird eine Übereinstimmung mit Livius und Vergil nachgewiesen (scil. a Tuerkio), die bei beiden auf Benutzung durch Properz beruhen kann, aber nur bei Vergil, nicht, wie Tuerk annimmt, auch bei Livius beruhen muss; denn selbst die kleinen Übereinstimmungen in der Form können durch Benutzung einer gemeinsamen Quelle entstanden sein." G. Knaackius quoque (l. l. p. 401) aspernatur Livium, „der nicht als Gewährsmann angeführt werden durfte."

Quae virorum doctorum iudicia nostrum nunc erit stabilire.

Incohat carmen nonum Sextus:

‚Amphitryoniades qua tempestate iuvencos
Egerat a stabulis, o Erythea, tuis,
Venit et ad victor, pecorosa Palatia, montes,
Et statuit fessos, fessus et ipse, boves.'

Quibus cum versibus componatur Livii narratio haec (I, 7, 4): ‚Herculem in ea loca Geryone interempto boves mira specie abegisse memorant, ac prope Tiberim fluvium . . . loco herbido, ut quiete et pabulo laeto reficeret boves, et ipsum fessum via procubuisse.'

Versu nono Propertius pergit sic:

‚Incola Cacus erat, metuendo raptor ab antro.'

Ferme consentiens cum eo dicit Livius (l. l.): ‚Pastor accola eius loci, nomine Cacus, ferox viribus.'

De dolo quoque ad celandum furtum a Caco adhibito Livii cum Propertio concentus in propatulo est. Pangit poeta (v. 11 sq.):

‚Hic, ne certa forent manifestae signa rapinae,
Aversos cauda traxit in antra boves.‘[1])

Quibuscum versibus comparanda sunt Livii verba (l. l.): ‚Aversos boves, eximium quemque pulchritudine, caudis in speluncam traxit.‘

Quem ad modum deinde boves mugientes, quo a Caco abditi sint, ipsi prodiderint Herculi, Livius (sicuti Vergilius) uberius narrat. Propertio hoc fuisse notum documento sunt verba (v. 13):

‚furem sonuere iuvenci.‘

Ac v. 15 sq. (‚Maenalio iacuit pulsus tria tempora ramo Cacus‘) clava scelus illud interimi, idcirco memoratu non est indignum, quod hic dissensus est a Vergilio, apud quem iugulatur[2]), consensus cum Livio.

Quae qui contulerit, narrationem Livianam eo usque quadrare dabit ad Propertii versus, ut non sit mirum, quod Tuerkius ut haec ratiocinaretur adlectus sit (p. 37): ‚Ex his quam artum vinculum intercedat inter Livium et Propertium apparet. Iam igitur, eis additis, quae Propertius de Tarpeiae fabula ex Livio deprompsisse videtur, dubium esse non potest, quin Propertius priores libros Livii non solum cognoverit, sed etiam eorum in studium incubuerit.‘ Eadem opinione implicatur Rothsteinius (ed. tom. II, p. 292), et nos quoque viris doctis omni numero astipularemur, si solus Livius — Vergilio, ut par est, omisso — hunc cum Propertio concentum praeberet.

Sed enim Livii auctoritatem labefactare in eiusque locum Varronem vocare conantibus ex sententia opitulatur scriptor Graecus, Dionysius Halicarnasseus. Audiamus agedum eius descriptionem et componamus cum Propertii et Livii verbis. Prodit haec (Antiquitt. Rom. I, 39): ‚Ὁ μὲν οὖν μυθικὸς περὶ τῆς παρουσίας αὐτοῦ (scil. Ἡρακλέους) λόγος ὧδ' ἔχει· ὡς δὴ κελευσθεὶς ὑπ' Εὐρυσθέως Ἡρακλῆς σὺν τοῖς ἄλλοις ἄθλοις καὶ τὰς Γηρυόνου βοῦς ἐξ Ἐρυθείας εἰς Ἄργος ἀπελάσαι, τελέσας τὸν ἆθλον καὶ τὴν οἴκαδε πορείαν ποιούμενος ἄλλῃ τε πολλαχῇ τῆς Ἰταλίας ἀφίκετο καὶ τῆς Ἀβοριγίνων γῆς εἰς τὸ προσεχὲς τῷ Παλλαντίῳ χωρίον. Εὑρὼν δὲ πόαν ἐν αὐτῷ βουκολίδα πολλὴν καὶ καλήν, τὰς μὲν βόας ἀνῆκεν εἰς νομήν, αὐτὸς δὲ βαρυνόμενος ὑπὸ κόπου, κατακλιθεὶς ἔδωκεν αὑτὸν ὕπνῳ.‘

Compares, quaeso, cum ‚πόαν βουκολίδα‘ Propertii ‚pecorosa Palatia‘, cum ‚αὐτὸς δὲ βαρυνόμενος ὑπὸ κόπου‘ Propertii ‚fessus et ipse‘, et adde quod locus, unde Hercules iuvencos abegerat (Erythea), a Dionysio quoque nominatur, non a Livio. Velis nolis, concedendum tibi erit certe non laxius esse vinculum iam huc usque inter Propertium et Dionysium quam inter poetam et historicum Romanum.

Sed videamus quae sequuntur apud Dionysium Halicarnasseum.

---

[1]) cf. Verg. Aen. VIII, 209 sqq.:
‚Atque hos, nequa forent pedibus vestigia rectis,
Cauda in speluncam tractos versisque viarum
Indiciis raptor saxo occultabat opaco.‘

[2]) Aen. VIII, 259 sqq.:
‚Hic Cacum in tenebris incendia vana vomentem
Corripit in nodum complexus et angit inhaerens
Elisos oculos et siccum sanguine guttur.‘

Cacum inducit verbis hisce: ‚λῃστής τις ἐπιχώριος ὄνομα Κάκος'. Quod magis concinit cum Propertii versu nono:

‚Incola Cacus erat, metuendo raptor ab antro'

quam cum verbis Livii, a quo homo ille sceleratus venditetur ‚pastor'.

De dolo Caci, prorsus sicut Propertius, Dionysius habet haec: ‚Ὀλίγας δέ τινας ἐξ αὐτῶν (scil. τῶν βοῶν) εἰς τὸ ἄντρον . . . ἀποκρύπτεται ἔμπαλιν τῆς κατὰ φύσιν τοῖς ζῴοις πορείας (i. e. ‚aversas') ἐπισπώμενος ἑκάστην κατ' οὐράν (cf. ‚cauda traxit in antra boves'). Τοῦτο δέ αὐτῷ τῶν ἐλέγχων ἀφανισμὸν ἐδύνατο παρασχεῖν (cf. ‚ne certa forent manifestae signa rapinae') ἐναντίας φανησομένης τοῖς ἴχνεσι τῆς ὁδοῦ'. De bubus dein se ipsos prodentibus Dionysius aeque ac Livius copiose narrat. Livii verba sunt haec: ‚Inde cum actae boves quaedam ad desiderium, ut fit, relictarum mugissent, reddita inclusarum ex spelunca boum vox Herculem convertit'. Dionysii vero elocutionem: ‚ἀντεμυκῶντο (scil. αἱ βόες) ταῖς ἔκτοσθεν καὶ ἐγεγόνει ἡ φωνὴ αὐτῶν κατήγορος τῆς κλοπῆς' magis conspirare cum Propertii ‚furem sonuere iuvenci', quis est quin cognoscat? Quod autem attinet ad genus interficiendi, Dionysius quoque refert: ‚Ἡρακλῆς δὲ ἁλοιῶν αὐτὸν τῷ ῥοπάλῳ κτείνει'. Ac quod Propertius de foribus ab Hercule effractis canit versu 14:

‚Furis et implacidas diruit ira fores,'[1]

Dionysius praebet consimilia (ἐπικατασκάπτει τῷ κλωπὶ τὸ σπήλαιον'), nihil omnino Livius.

Dionysii igitur cum Propertio similitudines nonnihil praevalere facile diiudicabit qui narrationes et Livii et Dionysii cum Propertii versibus composuerit.

Sed quomodocunque haec res se habet, artissimo conecti vinculo omnes eos scriptores quivis intelleget. Itaque Tuerkius de huius fabulae Herculeae auctorum qui luce clarior apparet consensu sententiam breviter ponit hanc (p. 38): ‚Equidem eos ad fontem antiquiorem redire conicio, quamquam eum ipsum indicare non habeo.'

In tanto cum totius narrationis tum minutarum quoque rerum concentu quin omnibus nobile aliquod exemplum propositum fuerit[2]), dubitari me quoque iudice omnino non licet, nimis vero audax ne videar vereor, ex cuius gremio prognata sint illa omnia enucleare iam conaturus.

A. Kiesslingius, quem in Dionysii arte historica pensanda peregrinum atque hospitem nemo vocet, „De Dionysi Halicarnassei antiquitatum auctoribus Latinis', Lips. 1858, de fonte unde Dionysius nostram fabulam hauserit iudicat sic (p. 39): ‚Euandri Herculisque res gestae, in quibus enarrandis saepius auctores Romani excitantur, ut ἑξηκοστῷ μάλιστα ἔτει πρότερον τῶν Τρωικῶν ὡς αὐτοὶ Ῥωμαῖοι λέγουσιν (I, 31), quin maximam partem ex Varronis antiquitatum libris sumptae sint (scil. a Dionysio), nullus dubito, sed accuratius ea persequi nunc supersedeo.' Graviter dolendum est, quod vir doctus huic rei retractandae ipse defuit. Paene autem profligarunt nostris diebus hanc quaestionem Samter (Quaestiones Varronianae, Berolin. 1891) et Geffken (Herm. tom. XXVII, Philol. Unters. XIII, 1892), et ipse Jacobson (‚Das Verhältnis des Dionys von Halicarnass zu Varro in der Vorgeschichte Roms', Progr. Dresd. 1895), cum ceteroqui Kiesslingi de Varrone Dionysii auctore sententiae iusto iure modum aliquem imponendum censeat, in hac de Hercule Cacoque parte non

---

[1]) cf. Verg. Aen. VIII, 262:

‚Panditur extemplo foribus domus atra revolsis.'

[2]) Pro certo potest affirmari nec Livium a Dionysio, nec Dionysium a Livio in usum vocatum esse; v. inprimis F. Lachmann, De fontibus historiarum T. Livii, Gotting. 1821. I. p. 45.

habet quod adversetur (p. 12 sqq.) Itaque cum omnibus sit probata[1]), stare in Kiesslingi sententia sine ulla, opinor, dubitatione licet[2]).

Iam vides quid velim: Propertium quoque in hac de Hercule et Caco fabula revocare placet ad Varronis doctrinam, quippe quem cum Dionysii enarratione concordare nemo non cognoverit. Quod si conceditur, non est, cur Tuerkium Rothsteiniumque secuti Livii insuper auctoritatem conferamus in Sextum argumentaque unius carminis ex duobus scriptoribus conflata esse statuamus. Ubicunque enim poetae cum Livio concentus manifestus est, simul et, quantum equidem sentio, artius cohaerere eum modo vidimus cum Dionysio, qui, si credimus Kiesslingio, e Varrone pendet. Id a me impetrare non queo, ut eum de iisdem rebus complura promptuaria adisse putem. Prorsus enim detrectarem artem poetae, talis praesertim poetae, qui, quae in suum usum converteret, his illisve locis anxia cura collegisse minime existimandus est[3]).

Nonne pergratum esse debet auctorem Livium ex priore carminis noni parte extrusisse? Etenim iam omnia, quae hac elegia explicantur, me si audis, ad illum polyhistorem redigere licet. Nam alteram carminis fabulam, quae est de Bona Dea et constructione Arae Maximae, ‚ex Varrone deprompsisse' Propertium liquido demonstravit Tuerkius p. 40—42 in eaque re assensum tulit Caueri (l. l. p. 1581) et Knaackii (l. l. p. 401).[4]) Argumenta viri docti, ne molestus sim, non refero.

Unam vero rem posse se enodare negat Tuerkius, ac nisi hac difficultate sublata totam elegiam esse compotem Varronianae doctrinae aut certe nihil ei repugnare merito nequit a nobis asseverari.

Tuerkio enim Propertius eo ab omnibus dissentire videtur auctoribus, quod Euandri hospitio usum esse Herculem reticeat. Atque sic argumentatur vir doctus (p. 38): ‚Multo gravius est a Propertio nullam mentionem fieri eius, quem apud omnes scriptores quasi primas partes tenere videmus, dico Euandrum. Hunc enim Herculem comiter accepisse, Caco interfecto summis laudibus extulisse, Herculis honoribus Aram Maximam condidisse, conditam Potitiis ac Pinariis conservandam tradidisse, ex Vergilio et Livio cognosci potest. Tantum autem abest, ut Propertius Euandrum introducat, ut contra pro Euandro Cacum illum semihominem cum Hercule hospitio coniunctum fuisse narret:

‚Sed non infido manserunt hospite Caco
Incolumes: furto polluit ille Iovem.'

Unde poeta hanc miram commutationem fabulae vulgaris hauserit, quaestio est sane difficilis.'

---

[1]) cf. etiam C. Peter, Zur Kritik der Quellen der älteren römischen Geschichte, Hal. 1879, p. 64; P. Mirsch, De M. Terenti Varronis antiquitatum rerum humanarum libris XXV, Lps. 1882, qui tamen vir doctus, quod p. 49 denuo in hoc studium incubiturum se pollicitus est, adhuc usque non praestitit.

[2]) Hoc unum hoc loco afferre iuvat, Augusti aetate de nostra fabula opinionem exstitisse plane diversam ab omnium, quos in quaestionem vocavimus, scriptorum narratione; Verrius Flaccus eam amplexus est; cf. Serv. Aen. VIII, 203: ‚Sane de Caco interempto ab Hercule tam Graeci quam Romani consentiunt, solus Verrius Flaccus dicit Garanum fuisse pastorem magnarum virium, qui Cacum adflixit' e. q. s. De hoc conatu patrios heroes introducendi cf. Münzer, l. l. p. 602.

[3]) Recte Cauerus (l. l. p. 1581) iniuste iudicare de poeta dicit putantes, „dass er die einzelnen Züge durch mühsame Studien zusammengelesen hat."

[4]) Versum 25. e Varronis libris fluxisse certo paene certius esse affirmat Carolus Schenkl (Deutsche Litteraturzeitung 1886, p. 186); cf. Rothstein. edit. tom. II. p. 289, 294 et append. p. 379.

Ac primum quidem Euandrum apud omnes scriptores hanc fabulam referentes ‚quasi primas partes tenere' quo iure dici possit, non satis assequor. Immo in tota de pugna Herculis et Caci narratione plane supervacaneus est hic vir neque ab omnibus scriptoribus introducitur nisi post illud facinus, ita ut Tuerkius enumeratione sua (‚hunc enim Herculem comiter accepisse, Caco interfecto summis laudibus extulisse') ordinem suo arbitratu mutasse putandus sit. Apud Vergilium Euander ita tantum commemoratur, ut Aeneae illam rem (sc. Caci caedem) narret. De hospitio autem Herculis ante caedem Caci facto cum Euandro, in cuius locum a Propertio Cacum vocatum esse Tuerkius vult, neque apud Vergilium neque apud Livium quicquam invenitur. Quid? quod Dionysius Halicarnasseus et Servius, qui scriptores videlicet sunt ad Varronem redigendi, ante illam caedem ne nomine quidem notum fuisse Euandro Herculem ac minime tunc hospitium inter eos intercessisse docent. Dionysius enim Halicarnasseus tradit I, 40: ‚Οἱ δὲ Ἀβοριγῖνες καὶ τῶν Ἀρκάδων οἱ τὸ Παλλάντιον κατοικοῦντες, ὡς τοῦ τε Κάκου τὸν θάνατον ἔγνωσαν καὶ τὸν Ἡρακλέα εἶδον, τῷ μὲν ἀπεχθόμενοι διὰ τὰς ἁρπαγάς, τοῦ δὲ τὴν ὄψιν ἐκπαγλούμενοι θεῖόν τι χρῆμα ἐνόμισαν ὁρᾶν . . . . ἧκον δὲ οἱ βασιλεῖς αὐτῶν ἐπὶ ξένια τὸν Ἡρακλέα καλοῦντες. Ὡς δὲ καὶ τοὔνομα καὶ τὸ γένος αὐτοῦ καὶ τὰς πράξεις διεξιόντος ἔμαθον, ἐνεχείριζον αὐτῷ τήν τε χώραν καὶ σφᾶς αὐτοὺς ἐπὶ φιλίᾳ. Εὔανδρος δὲ . . . . ἐπειδὴ τάχιστα ὅστις ἦν ἐπύθετο, φθάσαι βουλόμενος ἅπαντας ἀνθρώπους Ἡρακλέα θεῶν τιμαῖς πρῶτος ἱλασάμενος' κτλ. Ac Servius, quem totum esse in Varronis thesauris archaeologicis in obscuro non est, planis verbis prodit ad Aen. VIII, 269: ‚Unde etiam Hercules primo non est ab Euandro susceptus; postea vero cum se et Iovis filium dixisset et morte Caci virtutem suam probasset, et susceptus et pro numine habitus est.' Etiam Livius exhibet I, 7: ‚Euander . . . postquam facinus (scil. caedem Caci) facinorisque causam audivit . . ., rogitat, qui vir esset (scil. Hercules). Ubi nomen patremque ac patriam accepit' e. q. s. Itaque post illud factum demum Herculem ab Euandro comiter receptum esse vel caecutienti elucescet. Quin etiam alios scriptores, quos Varronis sapientiam sapere sat constat, ne hospitio quidem post Caci necem inter Herculem et Euandrum facto nimium ponderis tribuisse nomenque Euandri, sicut Propertium, silentio praeterisse iam apparebit. Primus audiatur Macrobius[1]) (Saturn. I, 12), qui Varronis nomine paulo ante laudato refert haec: ‚Mulieres in Italia sacro Herculis non licet interesse, quia Herculi, cum boves Geryonis per agros Italiae duceret, sitienti respondit mulier . . . Propter quod Hercules facturus sacrum detestatus est praesentiam feminarum et Potitio ac Pinario sacrorum custodibus iussit, ne mulieres interesse permitterent.' Nihilo secius tacet de Euandro Festus (p. 237 M.): ‚Potitium et Pinarium Hercules, cum ad aram, quae hodieque maxima appellatur, decimam bovum, quos a Geryone abductos abigebat Argos in patriam, profanasset, genus sacrificii edocuit.' Adde quod scriptores, qui fabulam plenius enarrarunt, id variant, ut alii ab ipso Hercule Aram Maximam sibi constitutam, alii ab Euandro conditam aram, ab Hercule tantum Potitios ac Pinarios sacerdotes institutos esse tradant; cf. Hertzberg. ed. tom. III p. 486 sq. Qua re Tuerkii de Euandro ‚apud omnes scriptores quasi primas partes' tenente sententiae quod restabat fundamenti subtrahitur. Atque — id adicere operae erit pretium — cum Propertius superiorem rationem secutus sit (cf. Hertzberg. l. l.), Livium suum Tuerkius inveniet in numero eorum, qui fabulam de Euandro Arae Maximae conditore adamaverunt.

[1]) De Macrobio Varronianorum vestigiorum pleno cf. G. Wissowa, De Macrobii Saturnaliorum fontibus, Vratislav. 1880.

Mutatum vero Euandri hospitium cum Caci a Propertio, repugnantibus reliquis scriptoribus, cave concedamus Tuerkio, quippe cum ante Caci necem Herculis Euandrique hospitium commemoretur a nullo. Et quandoquidem apud nostrum Hercules exsistit hospes Caci, de altero hospitio cogitetur necesse est, eleganter me quidem iudice a poeta ficto, quo illius semihominis scelus furtumque reddat detestabilius. Vix quicquam ansae dare potest Diodorus Siculus IV, 21, 2: ‚Κάκιος καὶ Πινάριος ἐδέξαντο τὸν Ἡρακλέα ξενίοις ἀξιολόγοις καὶ δωρεαῖς κεχαρισμέναις ἐτίμησαν', quem locum intricatum et inconditum, quem nemo sanus in testimonium adhibeat, suo iure increpat Rothsteinius (ed. tom. II, p. 291)[1]. Quibus omnibus rebus ponderatis intellegemus minime respiciendum fuisse poetae Euandrum et, quomodo haec ‚commutatio, possit explicari inutile esse cum Tuerkio (p. 39) quaerere; praesertim cum ingenue ipse vir doctus interpretatione a se tentata nodum non expediri in confesso sit. Ac quod opinatur Tuerkius apud Propertium, iterum recedentem ab omnibus reliquis scriptoribus e Varrone pendentibus, Arae Maximae consecrationem non manare e Caci caede, diluitur id ipsis poetae verbis v. 67 sq.:

‚Maxima quae gregibus devota est ara repertis,
Ara per has, inquit, maxima facta manus.'

Quibus versibus dilucide Hercules ipse declarat se Aram Maximam dedicasse, cum recuperasset boves i. e. post Caci caedem.[2]

Iam nihil esse videtur, quod efficiat, ne Propertium, poetica nimirum ubiubi admiscentem pigmenta, in nono quoque carmine — Vergilium semper excipiendum iam supra diximus — uni auctori obtrudamus, Varroni.

Decimo carmine, unde ‚Feretrius' denominatus sit Iuppiter et qui Romani imperatores opima spolia reportata in Iovis Feretrii templo posuerint, explicatur a Propertio.

Clare sonat Varronem, quem in ‚Antiquitatibus' praeter ceteros in fines etymologiae excurrisse in aperto est (v. Ritschl. opusc. III, 363), illud veriloquium, quo in carminis peroratione de origine cognominis Feretrii haec habet poeta:

‚Nunc spolia in templo tria condita: causa Feretri,
Omine quod certo dux ferit ense ducem:
Seu, quia victa suis umeris haec arma ferebant,
Hinc Feretri dicta est ara superba Iovis.'

Aut e verbo ‚feriendi' i. e. caedendi aut e verbo ‚ferendi', quia victor erat τροπαιοῦχος sive σκυλοφόρος (cf. Dion. Hal. II, 34), originem duxisse illud cognomen testatur etiam Plutarchus (Vit. Marcelli 8): ‚Καλεῖται δ'ὁ μὲν θεὸς, ᾧ πέμπεται, Φερέτριος Ζεὺς, ὡς μὲν ἔνιοί φασιν, ἀπὸ τοῦ φερετρευομένου τροπαίου κατὰ τὴν Ἑλληνίδα γλῶσσαν, ἔτι πολλὴν τότε συμμεμιγμένην τῇ Λατίνων,

---

[1]) ‚Cacus hic Potitii loco inductus.' Tuerk. p. 38.

[2]) Hertzberg. ed. tom. III, p. 487: ‚V. 67: ‚gregibus devota repertis' cave ne cum Jacobo ‚pro gregibus repertis vota' interpreteris. Quomodo enim Hercules sibi, quasi homo deo, aram devoveret, i. e. sibi ipse promitteret, si repperisset, dedicandum? Absurdum hoc . . . . Ac ne verbum quidem ‚devoveri' recte haberet, quod si ‚in futuram consecrationem promitti' significat, semper hostiarum est, non locorum. Hi enim voventur, non devoventur. Itaque ‚devotus' hic, ut saepius, in universum erit ‚dicatus', ablativus autem ‚gregibus repertis' non pretium causamve, sed tempus tantum significabit: postquam repperi.'

ὡς δ'ἕτεροι, Διός ἐστιν ἡ προσωνυμία κεραυνοβολοῦντος. Τὸ γὰρ τύπτειν φερῖρε οἱ Ῥωμαῖοι καλοῦσιν. Ἄλλοι δὲ παρὰ τὴν τοῦ πολεμίου πληγὴν γεγονέναι τοὔνομα λέγουσι· καὶ γὰρ νῦν ἐν ταῖς μάχαις, ὅταν διώκωσι τοὺς πολεμίους, πυκνὸν τὸ φέρι, τουτέστι παῖε, παρεγγυῶσιν ἀλλήλοις.' Cf. etiam Vit. Romuli 16: ‚Τὸ δὲ τρόπαιον ἀνάθημα Φερετρίου Διὸς ἐπωνομάσθη. Τὸ γὰρ πλῆξαι φερῖρε Ῥωμαῖοι καλοῦσιν . . . . Κόσσος μὲν οὖν καὶ Μάρκελλος ἤδη τεθρίπποις εἰσήλαυνον αὐτοὶ τὰ τρόπαια φέροντες . . . . Τοῦ δὲ Ῥωμύλου τὰς εἰκόνας ὁρᾶν ἐστιν ἐν Ῥώμῃ τὰς τροπαιοφόρους πεζὰς ἁπάσας.' Atque cum Plutarchum per Iubam revocandum esse iam nobis persuaserimus ad libros Varronis, cuius nomen hoc ipso capite Vitae Romuli citatur, etiam Propertium veriloquium illud proferentem pendere e Varrone eo facilius concludi potest, quod alterius Propertii temporum philologi, Verrii Flacci, de hoc nomine opinionem diversam fuisse aliquam habet veri speciem; cf. Fest. p. 92 M: ‚Feretrius Iuppiter dictus a ferendo, quod pacem ferre putaretur; ex cuius templo sumebant sceptrum, per quod iurarent, et lapidem silicem, quo foedus ferirent.' Addendum est, quod Livio, cuius auctoritate ne in hoc quidem carmine liber Propertius Tuerkio videtur, alteram tantummodo originem vocabuli ob oculos versatam esse patet. Cf. I, 10,6: ‚Spolia ducis hostium caesi suspensa fabricato ad id apte ferculo gerens in Capitolium escendit' et paulo infra verba dedicantis Romuli: ‚Romulus rex regia arma fero, templumque his regionibus, quas modo animo metatus sum, dedico sedem opimis spoliis, quae regibus ducibusque hostium caesis me auctorem sequentes posteri ferent'.

Quamquam igitur veriloquium Propertianum, Varronis velut exhalans doctrinam, apud Livium ex parte tantum occurrit, tamen in decimo quoque carmine poetam historico huic obnoxium putare Tuerkium modo diximus. Cum Livii verbis extremo loco a nobis allatis comparat versus 5 sq.:

‚Imbuis exemplum primae tu, Romule, palmae
Huius, et exuvio plenus ab hoste redis'.

Laudo, quod caute addit vir doctus: ‚Tamen non audeam statuere Propertio illam sententiam ex Livio hauriendam fuisse, cum ea in ipsa re posita sit.' Quid vero similitudinis sit in pugna Romuli et Acrontis ab utroque descripta (v. Tuerk. p. 44), equidem non expiscor. Apud Livium de singulari proelio nullo pacto cogitari potest, poetam autem certamen singulare in animo habuisse, quamquam disertis expressisve verbis palam non fit, tamen ex tota narrationis indole valemus colligere (v. maxime v. 11).

Sed fac recte iudicare Tuerkium de hoc proelio similiter a poeta et ab historico descripto: tunc equidem Livii haud ab re duco componere narrationem cum Dionysii:

Liv. I, 10: ‚Nomen Caeninum in agrum Romanum impetum facit. Sed effuse vastantibus fit obvius cum exercitu Romulus levique certamine docet vanam sine viribus iram esse. Exercitum fundit fugatque, fusum persequitur; regem in proelio obtruncat et spoliat, duce hostium occiso urbem primo impetu capit'.	Dion. II, 33: ‚Ἐξεστρατευμένων δὲ τούτων (scil. τῶν Καινινιτῶν) καὶ δῃούντων τὴν ὅμορον ἐξαγαγὼν τὴν δύναμιν ὁ Ῥωμύλος . . . τοῖς φεύγουσιν εἰς τὴν πόλιν ἐκ ποδὸς ἑπόμενος . . . αἱρεῖ τὴν πόλιν ἐξ ἐφόδου καὶ τὸν βασιλέα . . . μαχόμενος αὐτοχειρίᾳ κτείνει καὶ τὰ ὅπλα ἀφαιρεῖται.'

Hae duae descriptiones quin eidem reddendae sint auctori, extra omnem dubitationis aleam positum puto. Denuo autem sentire mihi videor nobile illud exemplar, de quo vide quae

dixi ad carmen nonum [1]). Quod si probabilitatis non est absimile, qui Tuerkio concedet Propertii cum Livio similitudinem, idem statuat necesse est concentum inter Propertium et communem Livii Dionysiique fontem. Hinc lucri quidpiam exsistat Varronem Propertii auctorem affirmanti.

At cum poeta nostro malim componere alterius sectatoris Varroniani narrationem, Plutarchi, cum praesertim is singulare proelium inter Romulum et Acrontem commissum describat. Ac refert scriptor Graecus (Vit. Rom. c. 16): ‚Γενόμενοι δ'ἐν ὄψει καὶ κατιδόντες ἀλλήλους, προὐκαλοῦντο μάχεσθαι, τῶν στρατευμάτων ἐν τοῖς ὅπλοις ἀτρεμούντων. Εὐξάμενος οὖν ὁ Ῥωμύλος, εἰ κρατήσειε καὶ καταβάλοι, τῷ Διὶ φέρων ἀναθήσειν αὐτὸς τὰ ὅπλα τοῦ ἀνδρὸς, αὐτόν τε καταβάλλει κρατήσας‘. Propertius pingit v. 13 sqq.:

‚Hunc videt ante cavas librantem spicula turres
Romulus et votis occupat ante ratis:
„Iuppiter, haec hodie tibi victima corruet Acron.“
Voverat: et spolium corruit ille Iovi.‘

Persimilem prae se fert speciem nervosa et ponderosa repetitio verborum, apud Propertium: ‚haec victima corruet Acron: spolium corruit ille Iovi‘, apud Plutarchum: ‚εἰ κρατήσειε καὶ καταβάλοι: αὐτόν τε καταβάλλει κρατήσας.‘

Comparari porro possunt v. 9 sq.:

‚Acron Herculeus, Caenina ductor ab arce,
Roma, tuis quondam finibus horror erat‘

cum Plutarchi verbis (l. l.): ‚Ἄκρων δὲ βασιλεὺς Κενινητῶν, ἀνὴρ θυμοειδὴς καὶ δεινὸς ἐν τοῖς πολεμικοῖς‘. Cui scilicet similitudini argumenti vim attribui posse nullam per se intellegitur. Atque apud Plutarchum sicuti apud Propertium iam ante pugnam Iovi spolia Acrontis vovere Romulum ideo urgemus, quod Livius tradit eum duce hostium occiso exercitum Romam reduxisse et arma in Capitolium tulisse eaque tunc demum Iovi vovisse verbis: ‚Iuppiter Feretri, haec tibi victor Romulus rex regia arma fero templumque . . . dedico sedem opimis spoliis‘ e. q. s. [2])

Non vero Tuerkius, undeunde extricare conatus Propertii Liviique coniunctionem, in cautione qua opus est adhibenda sat sibi constitit, cum versum 17:

‚Urbis virtutisque parens sic vincere suevit‘

componeret cum Liv. I, 16, 3: ‚Regem parentemque urbis Romanae salvere universi Romulum iubent.‘ Ut hoc omittam, quod haec Livii verba non in illa de Romulo et Acronte narratione, sed in fine historiae Romuleae exstant, ubi de morte primi regis Romanorum mentio fit: num Livius adeundus erat nostro, ut Romulo illum titulum tribueret tritissimum ‚parens urbis‘? An eum non callebat de semet ipso?

Atque in alterius pugnae, inter Cossum et Tolumnium commissae, descriptione ‚prorsus diverse‘ ab Livio (qui nihil de proelio singulari) referre Propertium Tuerkius ipse recte monet [3]); eo magis obstupescimus, quod hic quoque, abreptus perversa quam sibi de Livio Propertii auctore finxit opinione, concentum poetae et historici comprobare studet vir doctus verbis hisce (p. 46): ‚Hoc autem certum videtur, poetae verba:

---

[1]) De crebris in Dionysii libro II. vestigiis Varronianis cf. Merkel. Proll. Ovid. Fast.

[2]) cf. etiam v. 13: ‚Hunc (sc. Acrontem) videt ante cavas librantem spicula turres‘ cum verbis, quae Plutarchus (Vit. Marcelli c. 7.) facit de tertia ‚victima‘ (Virdomaro): ‚Κατιδὼν . . . πολὺ πρὸ τῶν ἄλλων ἐξελάσας τὸν ἵππον ὑπηντίασεν ἅμα . . . τὸ δόρυ κραδαίνων.‘

[3]) cf. Rothstein ed. tom. II, p. 302.

‚desecta Tolumni
Cervix Romanos sanguine lavit equos‘

referenda esse ad Livii IV, 19, 5: ‚exsangui detracta spolia caputque abscisum victor spiculo gerens terrore caesi regis hostes fudit.‘ Parum videri similitudinis, quam ut huic viri docti affirmationi possit subscribi, cautissimus quisque concedet.[1])

Quae cum ita sint, ne uno quidem loco decimi carminis Livium stare auctorem Propertii existimo. Et cum extenuare Livii, Varronis exaggerare auctoritatem maxime mea interesse plus semel dixerim, illis duobus capitibus Plutarchi (Vit. Romuli cap. XVI et Vit. Marcelli cap. VIII) huic rei sat emolumenti accessisse puto, praesertim cum priore locorum Plutarcheorum ipsum nomen Varronis excitetur (‚φησὶ Βάῤῥων‘)[2]).

Carmine **primo**, quo proficiscens a parvis Romae initiis describendis persequitur crescentem in dies potentiam Urbis, plurima variaque neminem mirum habebit proferri de antiquitatibus Romanis a Propertio. Quae inde oritur difficultas etiam eo augetur, quod hac elegia in angustissimam brevitatem compressit suam doctrinam Sextus et leviter tantum velut in transcursu omnia tetigit saepiusculeque in unum distichum plures res ad incunabula Romae spectantes infersit.

De vetustissimae Romae forma ac condicione quis unquam fuit gravior Varrone testis? Ne multus sim in re nota, Quintiliani (Inst. Orat. I, 6, 12) verbis: ‚Varro in eo libro, quo initia Romanae urbis enarrat‘, toto libro illas res tractasse Reatinum probabile fit.[3])

Itaque Tuerkius illam rerum nostri carminis congeriem Varronianam auctoritatem inustam ferre vult et quae praebet argumenta, eis mihi in universum persuasisse virum doctum suam esse probandam sententiam laetus libens agnosco. Tantum non in unoquoque versu Varroniana spirat certe mens.

Bis autem in hoc quoque dissertationis capite occurrit Livii nomen a Tuerkio excitum. Quamquam altero loco dissensus Livii et Propertii detegitur a viro docto. Quod enim de Albaelongae denominatione exhibet poeta versu 35:

‚Et stetit Alba potens, albae suis omine nata‘,

sequitur solitam doctrinam propriamque Varronis. Cf. Varron. de ling. lat. V, 144: ‚Alba, id ab sue alba nominatum‘ et Serv. Aen. I, 270: ‚Albam Longam condidit dictam ab omine albae porcae repertae vel situ civitatis.‘ Cf. Verg. Aen. VIII, 36 sqq. Contra Livius illud veriloquium reticet et vocis Albaelongae originem tantummodo explicat sic I, 3: ‚Ascanius . . . novam ipse aliam sub Albano monte condidit, quae ab situ porrectae in dorso urbis Longa Alba appellata.‘

Initio vero carminis v. 3 sq.:

‚Atque ubi Navali stant sacra Palatia Phoebo,
Euandri profugae concubuere boves‘

Tuerkius denuo Livium auctorem odorari sibi videtur. Sane quidem etiam Livius ‚profugum‘

---

[1]) Cum Livii componere placet verba Dionysii Halicarnassei (XII, 5): ‚Ἀποκτείνας δὲ αὐτὸν (sc. Τολούμνιον) καὶ τὰ σκῦλα ἀφελόμενος, οὐ μόνον τοὺς ὁμόσε χωροῦντας ἱππεῖς τε καὶ πεζοὺς ἀνέστειλεν, ἀλλὰ καὶ τοὺς . . . ἀντέχοντας εἰς ἀθυμίαν καὶ δέος κατέστησεν.‘

[2]) Etiam G. Knaackius (l. l. p. 400) auctoritatem Varronis se accipere annuit adiungens: „Der in der Überarbeitung Jubas bei Plutarch vorliegende Bericht gestattet noch einen Rückschluss auf die varronische Fassung.“

[3]) Mirschius (l. l. p. 32 et 94) fuisse illum quartum librum Antiquitatum rerum humanarum ratiocinatur.

in Italiam venisse Euandrum tradit I, 7, 8: ‚Euander tum profugus ex Peloponneso auctoritate magis quam imperio regebat loca.' Cuius attributi quantumvis sit notabilis concentus, tamen vellem evolvisset vir doctus Serv. Aen. VIII, 51, unde Varronem ‚fugam' Euandri omni modo pressisse discimus: ‚Ipse autem Euander, dimissa provincia sua exilio, non sponte, conpulsus venit ad Italiam et pulsis Aboriginibus tenuit loca, in quibus nunc Roma est, et modicum oppidum fundavit in monte Palatino, sicut ait Varro: Nonne Arcades exules confugerunt in Palatium, duce Euandro?'[1]) Hoc igitur, si modo de ea re aliquid suspicari aut licet aut opus est, Varronem suppeditasse poetae putare malim, cum reliqua carminis eruditio aspiret ad eundem polyhistorem.

Iam vero vela contrahamus portumque nacti videamus, ecquid lucri e via quam emensi sumus domum advexerimus.

In fine dissertationis suae (p. 64) Tuerkius haec facit verba: ‚Non minus velim, multum valuisse ad carmina Romana Livii libros demonstraverim; atque ut coniecturas rectam rationem excedentes fecerim, tamen quin Livius et Propertius inter se cohaereant, vix dubitandum est.' Primum librum saepius, semel librum quartum Patavini in usum esse vocatum a Sexto comprobasse sibi videri virum doctum vidimus.

Et habeant licet nonnulli Livianorum quos affert locorum similitudinem quandam cum Propertii enuntiatis: tamen esse prorsus nullum, quin eodem iure cum Varronis eiusque aemulorum libris componi possit, hac mea disputatiuncula patuisse puto, ita ut nihil sit cur Propertius, in universum Varronianae assectator doctrinae, his paucis locis duos sibi aperuisse fontes existimetur. Quo accedit, quod reliquis quoque locis vix a Varronis, satis saepe a Livii persuasione decedentem deprehendimus poetam.

Lauream igitur Varroni detractam immerito imposuisse Livio Tuerkium si concesseris, una mercede duas res assecuti erimus: cum ruptum erit omne quod Propertium Livio copulare videbatur interioris societatis vinculum, tum hac ipsa re auctoritas Varronis, cuius ceteroquin in aetiologicis carminibus arte premi vestigia a poeto nostra veri est quam simillimum, aucta et corroborata.

Tuerkius autem solo, si quid video, Caroli Schenkelii exemplo, ut Livium faceret Propertii auctorem, pellectus est. Hic vir doctus quadraginta abhinc annis (Zeitschr. für die österreich. Gymnasien 1860, p. 401 sqq.)[2]) Ovidii Fastorum locos permultos utique redolere sapientiam priorum Livii librorum certissimis evicit argumentis. Quae causae ab eo afferuntur,

---

[1]) cf. Dion. Halic. I, 31, unde Varroniana licet elicere; produnt hunc auctorem verba Dionysii ‚οἱ δὲ τὰς Ῥωμαϊκὰς συγγράψαντες ἀρχαιολογίας'. Vide etiam verba Euandri apud Verg. Aen. VIII, 333 sqq.:

‚Me pulsum patria pelagique extrema sequentem
Fortuna omnipotens et ineluctabile Fatum
His posuere locis.'

[2]) Hac in similitudine explicanda iam antea Neapolis, Heinsius, Burmannius, Gierigius commentatores desudaverant.

tam graves sunt, ut in plerisque dubitationi locum non reliquerit et nonnulla ab Ovidio ex Livio ad unguem delibata esse recte dici possit. Quodsi Propertianae cum Livio similitudines aeque essent comparatae atque Ovidianae, nil impugnarem Tuerkium. At cum talibus minime possit inniti adminiculis, futtilem esse vacillareque eius sententiam de Liviana auctoritate in Propertii carminibus obviam se dante, quovis pignore contendam.[1])

Tametsi igitur id auctoritatis, quod Tuerkius ei surripuit, ipsum quoque Varroni restitui potest, tamen priusquam huic meae quantulaecunque opellae finem imponam, iterum atque iterum totam de Varrone Propertii auctore disputationem in hac carminum paucitate non demonstrationis necessitatem, sed probabilitatem tantummodo coniecturae prae se ferre posse asseverare velim. Certi equidem nihil ut in re admodum lubrica et dubia firmare ausim.

---

[1]) Quicumque de dissertatione eius iudicium quondam tulerunt viri docti, Tuerkii de Livio Propertii auctore sententiam, utpote per se parum verisimilem neque aliqua argumentandi necessitate nisam, exploserunt: quod iure eos fecisse haud scio an iam sit probatum.

tam graves sunt, ut in plerisque dubitationi locum non reliquerit et nonnulla ab Ovidio ex Livio ad unguem delibat pertianae cum Livio similitudines aeque essent comparatae kium. At cum talibus minime possit inniti adminiculis, futtile e Liviana auctoritate in Propertii carminibus obviam se da

Tametsi igitur id uit, ipsum quoque Varroni restitui potest, tamen priusquam em imponam, iterum atque iterum totam de Varrone Prope rminum paucitate non demonstrationis necessitatem, cturae prae se ferre posse asseverare velim. Certi equ et dubia firmare ausim.

---

[1]) Quicumque de di ri docti, Tuerkii de Livio Propertii auctore sententiam, utpote per se pa necessitate nisam, exploserunt: quod iure eos fecisse haud scio an iam